

Animadversiones in Heracliti Allegorias Homericas.

Heracliti qui dicitur Allegorias Homericas, quamquam a Mehlero sobrio cum iudicio et diligenter editae sunt, multis tamen vitiis adhuc esse foedatas et editor ipse saepe numero confessus est et intellet quicumque istius libelli paginas nonnullas perlegerit. Demonstravit hoc etiam Polakius volumine amplo nuper edito ('ad Odysseam eiusque scholiastas curae secundae'), cui permultas in Heraclitum coniecturas inseruit, plerasque prudentes et circumspectas. at tamen hic illic decipi se passus est vir doctus. velut, in fine libelli, ubi de Ulixe apud Phaeacas summum bonum voluptatem praedicante et de Epicuro philosophiam suam secundum Heracliti sententiam inde furato sermo est, tradita verba ἄρ' οὐχὶ καὶ ταῦθ' ἃ μόνῃ τῷ βίῳ παρέδωκε αἰσχροῦς ἀγνοήσας παρ' Ὀμήρου κέκλοφεν sc. Ἐπίκουρος; cum in hunc modum corrigenda esse censet ἃ μόνῃ τῷ βίῳ παρέδωκε αἰσχροῦς ἀγαθὰ, lapsus est egregie. dicit enim Heraclitus furatum esse philosophiae suae finem Epicurum ex Homero sed turpi cum ignorantia furatum, quippe qui non perspexerit veram poetae mentem. nam Ulixes non suam ipsius sententiam exposuisse putandus est sed morem gessisse hospitibus, quos omni deliciarum generi deditos videbat. confirmat hanc interpretationem scriptor ipse cum addit ἃ γὰρ Ὀδυσσεὺς ὑποκρίσει παρ' Ἀλκινόω μὴ φρονῶν ἐφεύσατο, ταῦτα οὕτως (sic legendum pro ὡς) ἀληθεύων ἀπεφήνατο τέλος βίου, ὅταν

εὐφροσύνη μὲν ἔχη κατὰ δῆμον ἅπαντα κτλ., ubi Polakii coniectura ὑποκρίσει χρώμενος ἐφεύσατο non utor, cum neque dativus ὑποκρίσει participio indigeat, et verba μὴ φρονῶν ἐφεύσατο tragici nescio cuius poetae memoriam fortasse prae se ferant. vide etiam p. 152: Ἐπίκουρος ἀμαθία τὴν Ὀδυσσεὺς πρόσκαιρον ἀνάγκην βίου κατεβάλετο δόξαν, ἃ παρὰ

Φαίαξιν ἐκείνος ἀπεφίνατο, κάλλιστα ταῦτα τοῖς καλοῖς κήποις φυτὰ ἐμψυτεύσας. Sed nolo in aliorum conaminibus iudicandis longius versari, paullo altiora canamus.

c. 25. Stoici cum Homeri carmina interpretabantur, decantatam illam fabellam, trium deorum contra Iovem insidias, quomodo allegoricis rationibus adstrinxerint, novimus e Cornuti libello, c. 17 p. 27 L: ἐτέρου δὲ μύθου μέμνηται τοῦ κατὰ τὴν Θέτιν, ὡς ὑπ' αὐτῆς σεσωσμένου τοῦ Διός,

ὁππότε μιν ξυνδήσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,

Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

φαίνεται δ' ὅτι κατ' ἰδίαν ἕκαστος τούτων τῶν θεῶν ἐπεβούλευε τῷ Διὶ συνεχῶς μέλλων ἐμποδίζειν ταύτην τὴν διακόσμησιν, ὅπερ ἐγένετο, εἰ τὸ ὑγρὸν ἐπεκράτησε καὶ ἐξυδατώθη πάντα ἢ τὸ πῦρ καὶ ἐξεπυρώθη (<ἦ> ὁ ἀήρ¹. Hic omnia plana et aperta. Ex Stoicorum consuetudine Neptunus aquam significat, Iuno aera; Minerva quod ignis esse dicitur reconditum fortasse, quia alias constanter apud Stoicos sapientia φρόνησις audit, sed ita fictum esse fabulae explicandae causa in aperto est. Tenemus igitur tria elementa, ignem aquam aera, quorum quodque ex Cornuti sententia aliquando maiores vires capere studebat et sic totius mundi ordini, id est Iovi, interitum minabatur. neque cum in naturali hac interpretatione ulla causa excogitari possit cur simul tria elementa exsurgant, callide adiecit Cornutus κατ' ἰδίαν, aperte contra poetae verba, qui tres deos viribus conlatis Iovem adgredientes facit. Primo obtutu Heraclitus eandem allegoriam enarrare videtur p. 52 capite 25, quo de hac fabula agitur. Adseverant enim, ait, philosophorum principes, mundum constare harmonia et concordia quattuor elementorum, interiturum, si quando unum ex iis cetera vincat et superet. πυρὸς μὲν οὖν αἰφνιδίως ἐκζέσαντος, ἀπάντων ἔσσεσθαι κοινήν ἐκπύρωσιν², εἰ δ' ἀθροῦν ὕδωρ ἐκραγείη κατακλυσμῷ τὸν κόσμον ἀπολείσθαι, haec optime quadrant in Cornuti verba supra adlata ὅπερ ἐγένετο κτλ. at statim Heraclitus sic pergit: διὰ τούτων τοίνυν τῶν ἐπῶν μέλλουσάν τινα ταραχὴν ἐν τοῖς ὅλοις Ὀμηρος ὑποσημαίνει· Ζεὺς γὰρ ἡ δυνατωτάτη φύσις, ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐπιβουλεύεται στοιχείων, Ἥρας μὲν τοῦ ἀέρος Ποσειδῶνος δὲ τῆς ὑγρᾶς φύσεως, Ἀθηνᾶς δὲ τῆς γῆς, ἐπειδὴ δημιουργός ἐστιν καὶ θεὸς ἐργάνῃ³. Hanc allegoriam si cum Cornuto comparaveris, statim manifestum tibi

¹ Recte, quod ad sententiam adinet, Villoisonum secuti inserere solent ἢ post ἐξεπυρώθη. quamquam librarius socors, cum ἐπιδρομήν illam in epitomen redigebat, re vera fortasse exaravit καὶ ἐξεπυρώθη ὁ ἀήρ. est enim epitome magna cum negligentia confecta, ut alibi demonstrabo.

² Non debebat Zeller (Philos. d. Gr. III 1⁸ p. 152²) hunc locum una cum multis aliis adferre ut Stoicorum de ἐκπύρωσει dogma comprobaret.

³ Bene codex Oxoniensis apud Ludwichium Mus. rhen. XXXVII p. 443 ἐπειδὴ exhibet, male δημιουργός ἐστι καὶ θεός. vide Eustathii locum.

erit, eundem Homeri locum diversum in modum tractatum fuisse. quod confirmat Eustathius ad A 399 p. 123 R., duas allegorias — quin etiam tertiam commemorat, quam non curo, cum lectione Φοῖβος Ἀπόλλων nitatur — discernens, quarum altera Ἦραν μὲν τὸν ἀέρα νοεῖ, Ποσειδῶνα δὲ τὸ στοιχείον τοῦ ὕδατος, Ἀθηνᾶν δὲ τὴν γῆν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀνθεῖν καὶ διότι, φασίν, ἐργάνη μὲν Ἀθηνᾶ λέγεται, γῆς δὲ τὸ ἐργάζεσθαι. Δία δὲ φησι τὸν ὑπερ-κείμενον πάντων αἰθέρα κτλ., alteram his verbis inducit p. 123, 17: Τινὲς δὲ καὶ οὕτω τὸν τοιοῦτον μῦθον θεραπεύουσιν, Ἦραν μὲν καὶ Ποσειδῶνα τὸν ἀέρα καὶ τὸ ὕδωρ νοοῦντες, Ἀθηνᾶν δὲ τὸ αἰθέριον πῦρ, διὰ τὸ τῆς χροιάς, φασίν, ἄνθος οὕτως ὀνομαζομένην κτλ. Δία δὲ τὸν θεῖον νοῦν, τὴν ψυχὴν τοῦ παντός. Comparas has duas interpretationes: non dubitabis quin ea quam Eustathius secundo loco exhibet cuique ex parte respondet Cornutus, vetustior et magis sincera sit putanda. recte enim ibi ex severa et prisca Stoicorum consuetudine Iuppiter audit ὁ θεῖος νοῦς, ψυχὴ τοῦ παντός, idemque dicere vult Cornutus. his non contenti sequioris aetatis homines ex Homero quattuor elementorum enumerationem expiscari posse sibi videbantur. itaque usurpaverunt Iovem pro igne, Iunonem pro aere, Neptunum et Minervam aquam et terram significare opinantes. Sed revertor ad Heraclitum, qui ambas allegoriae formas cognovisse videtur. Briareus enim a Thetide ad Iovis auxilium arcessitus priore Eustathii loco, qui Heraclito respondet, Sol definitur; altero dicit episcopus ἐκατόγχειρον δὲ καὶ (lege τὸν) Βριάρεων τὴν τῆς τοιαύτης διακοσμήσεως βριαρὰν ἀνάγκην τε καὶ ἰσχύν, eodemque modo Heraclitus p. 54: σύμμαχος δ' αὐτῇ (sc. Θέτιδι) γέγονεν ἡ βριαρὰ καὶ πολύχειρ δύναμις. Apparet inde scriptorem duas allegorias easque diversas in exemplari quod descripserit invenisse et confudisse. Pergit deinde καὶ ταῦτα δὴ τὰ στοιχεῖα πρῶτον μὲν συγγενῆ διὰ τὴν ἐν ἀλλήλοις ἀνάκρασιν, ubi adstipulor Mehlero haerenti in vocabulo συγγενῆ, non adstipulor Polakio p. 453 εὐμενῆ corrigenti, cum haec vox non bene conveniat sequentibus διὰ τὴν ἐν ἀλλήλοις ἀνάκρασιν; mihi scribendum videtur συνεχῆ <ῆν> cl. eiusdem libelli p. 131: ἐξ ἀμφοῖν δὲ (sc. Πρωτέως καὶ Εἰδοθέας) πᾶν διακριθὲν εἰς τὰ συνεχῆ καὶ προτατικά τῶν ὄλων σχισθῆναι (εὐλογόν ἔστιν), quo loco elementa intellegenda esse tota disputatio docet.

c. 40. Quattuor haec elementa certo ordine ut a Stoicis ita ab Homero disposita esse Heraclitus sibi persuasit. dicit igitur p. 83: τούτων τῶν στοιχείων¹ ἔστι τάξις, καθάπερ ἤδη μοι λέλεκται· πρῶτος αἰθήρ, καὶ μετὰ τοῦτον ἀήρ, εἶθ' ὕδωρ καὶ γῆ τελευταία, τὰ πάντων δημιουργὰ στοιχεῖα. Quae verba primum contra Polakium sunt defendenda, qui scribi iussit γῆ, τὸ πάντων δημιουργὸν στοιχείον non recte. Nemo enim umquam Stoicus terram omnium quae in mundo sunt rerum genetricem appellavit sed

¹ Recepti Heynii (ep. edit. Schow. praem. p. XXVI) coniecturam, traditum erat στῆλων.

fundamentum. cf. Laert. Diog. VII 137: ὑποστάθμην δὲ πάντων τὴν γῆν μέσσην ἀπάντων οὖσαν, Cornut. c. 28 p. 52 (τὴν γῆν Ἔστίαν προσηγόρευσαν οἱ παλαιοὶ) διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς ὤσανεϊ ἐπὶ θεμελίῳ τὸν ὄλον ἐστάναι κόσμον. vide etiam Heracliti c. 65 p. 129: οὔτε γὰρ γῆ, τῆ τῶν ὄλων ἐστία, κέντρον ἐπεπήγει βέβαιον; quibus locis non adversatur Aetius Stob. I 21 (I p. 183 W.): ἀπὸ γῆς δὲ ἄρξασθαι τὴν γένεσιν τοῦ κόσμου ὡσπερ ἀπὸ κέντρου¹. Refellitur Polakii coniectura etiam verbis sequentibus: ταῦτα δ' ἀλλήλοις ἐπικιρνάμενα ζωογονεῖται καὶ τῶν ἀψύχων ἀρχέγονα καθίσταται. Initio statim corrigendum est ταῦτα γὰρ ἀλλήλοις, cum causa indicetur cur elementa πάντων δημιουργὰ appellentur. difficultatem deinde parat vox ζωογονεῖται, quae si non passive accipitur, nihil aliud significat nisi 'viviscit'². 'Viviscunt igitur elementa inter se mixta et inanimata corpora procreant'. Itane vero? et animalia unde gignuntur? Legas quaesio quae de hac re Chrysippus docet apud Arium Didymum Stob. I 10 (I p. 129 W.) et conferas Laert. Diog. VII 142: γίγνεσθαι δὲ τὸν κόσμον ὅταν ἐκ πυρὸς ἢ οὐσίας τραπή δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συστάν ἀποτελεσθῆ γῆ, τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῆ καὶ ταῦτ' ἐπὶ πλεόν λεπυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ· εἶτα κατὰ μίξιν ἐκ τούτων φυτὰ τε καὶ ζῶα καὶ τὰ ἄλλα γένη; vide etiam Chrysippum ap. Plut. de Stoic. Rep. 41, 3 p. 1053^B. Iam nemo dubitabit quin hoc loco scribendum sit ζωογονεῖ τε καὶ τῶν ἀψύχων ἀρχέγονα καθίσταται.

c. 43. In descriptione scuti Achillei, quo universi mundi generationem repraesentari Heraclitus credit, mendum invenitur initio capitis: ὅθεν γὰρ αἱ πρῶται τοῦ παντός ἐφυσαν ἀρχαί, καὶ τίς ὁ τούτων δημιουργός καὶ πῶς ἕκαστα πληρωθέντα διεκρίθη σαφέσι τεκμηρίοις παρέστηκεν (sc. Ὀμηρος). Totius enuntiationi forma cogit nos ut corrigamus πόθεν γὰρ αἱ πρῶται κτλ. ad similitudinem vocularum τίς et πῶς.

c. 45. Crateteae doctrinae vestigium invenitur p. 95 sq., ubi epitheton 'celer', quod Homerus Nocti tribuit, a nonnullis ad cursus nocturni celeritatem referri Heraclitus narrat: ὡσπερ γὰρ ἀπηρτημένην ἑαυτοῦ τὴν νύκτα κατόπιν ἐφέλκεται (ὁ ἥλιος) συγχρονούσαν τοῖς ἡλίου τάχεσιν. εἰκότως οὖν αὐτὴν Ὀμηρος εἶρηκε θοήν. Hanc enim revera Cratetis interpretationem fuisse discimus ex schol. Hom. ad K 394 ap. Cramer. Anecd. Paris. III p. 13 et 94 (p. 42 Wachsm.) ὁ δὲ γε Κράτης καὶ ἐν τῇ τοιαύτῃ φιλοσοφίᾳ τὸ θοὴ ἐπὶ ταχείας τίθησι λέγων ὡς ἡ νύξ σκιὰ τῆς γῆς οὖσα ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ διώκουσα οἶον καὶ διω-

¹ Propterea c. 41 p. 87 scholiorum lectionem καὶ ἐδραιότατον ἀπεφάνετο στοιχείον εἶναι τὴν γῆν ὡσπερ ἐστίαν τινὰ τῆς τῶν ὄλων δημιουργίας reponendam esse puto.

² Cuius usus exempla adferre solent Theophyl. ep. 30 p. 48B. δριμυτέροις φαρμάκοις τὰ ζωογονούμενα ἐν τῇ σῆ γαστρὶ περιπνίγουσα et Athen. VII p. 298C: ἀφίδσι (οἱ ἐγγέλεις) γλοιῶδες ἐξ αὐτῶν, ὃ γενόμενον ἐν τῇ ἰλῦ ζωογονεῖται cl. Plin. IX 51.

κομένη. Novit Heraclitus Cratetem, cuius portentosae doctrinae specimen luculentum servavit in capite 27, ab ipso irrisum. neque hoc loco Cratetis conamen ei prorsus acceptum est. praefert aliam interpretationem, secundum quam sphaerica totius mundi figura epitetho eo significatur, et disputationem concludit hoc modo: εικότως οὖν θοὴν νύκτα λέγεσθαι τὴν ἐπ' ὄξυ τέλος τῆς ἐσάτης σκιᾶς ἀποτερματίζουσιν. Infinitivus nude positus stare non potest, corrige igitur εἰκός οὖν θοὴν νύκτα λέγεσθαι κτλ., cuius depravationis exempla multa conligi possunt, sufficit ex Heraclito adferre p. 116 n. 3, 118 n. 6 al.

c. 50. Zonarum, quas in scuto Achillis Heraclitus deprehendisse sibi visus est, quinta vocatur ἡ νοτιός τε καὶ ἀντάρκτιος. malim ἀνταρκτικός, cum Graeci homines, qui ἀρκτικός (et poetice ἀρκτῶς) semper usurpabant, sollemniter inde conformaverint ἀνταρκτικός. Satis est Eustathii locum p. 1154, 56 sq. adlegare, ubi Demo philosopha de eadem re sic fabulatur: τὰς δὲ πέντε πύχας τοῦ σάκουσ τοὺς παραλλήλους κύκλους νοεῖ, εἰς οὓς διαιρεῖται ὁ κόσμος, ἤγουν τὸν ἀρκτικόν, ὃς τῷ βορείῳ πόλῳ ἐγγίζει, καὶ τὸν τῷ νότῳ προσκυροῦντα ἀνταρκτικόν.

Sub finem libelli Heraclitus vehementer invehitur in Homeri accusatores et obtrectatores, Platonem et Epicurum. movet bilem imprimis quod ille in constituenda re publica poetae locum non concessit. decantatum illud iterum profertur p. 147: ἀλλὰ τοὶ Πλάτων μὲν Ὅμηρον ἰδίας ἐξώρισε πόλεως, ὃ δὲ σύμπας κόσμος Ὅμηρου μία φησὶν εἶναι πατρίς, ubi vitium sollemne est tollendum, depravatum enim πόλεως ex πολιτείας. cf. eiusdem paginae l. 1: φυγαδεύτω τοῖνυν ἀπὸ τῆς ἰδίας πολιτείας Πλάτων Ὅμηρον, c. 4 p. 5: ἐρρίφθω δὲ καὶ Πλάτων ὃ κόλαξ . . . ἔνδοξον ἀπὸ τῆς ἰδίας πολιτείας τὸν φυγάδα προπέμπων. Deinde in egregia Platonis cum Homero comparatione et in acerbissima Phaedri censura memoratu dignum erat continuari Platonis e Phaedro p. 237^B verba ab Heraclito paullulum immutata: ἦν οὕτω δὴ παῖς καλὸς μᾶλλον δὲ μειρακίσκος, οὗ πολλοὶ μὲν ἦσαν ἐρασταί, εἰς δὲ τις αἰμύλος ὃς ἐπεπείκει αὐτὸν ἐρών ὅτι οὐκ ἐρῶν· καὶ ποτε αὐτὸν αἰτῶν ἔλεγεν ὦδε, adiungit, ut solet, adlatis scriptoris verbis Heraclitus. proprium epilogum ἔλεγεν ὦδε γυμνοῖς τοῖς ὄμμασι τὴν ἀσέλγειαν οὐδ' εὐπρεπεῖ σχήματι τὸ τοῦ πράγματος αἰσχρὸν ὑποκλέψας¹. Adludere videtur fortissimus iste Homeri defensor ad Phaedri locum, ubi Socrates sermonem amatorium recitasse dicitur capite obvoluto. quod si verum est, ut videtur, non potuit antea dicere γυμνοῖς τοῖς ὄμμασι, immo debuit γυμνοῖς τοῖς ὄνόμασι, ita ut nudae verborum turpitudini opponeret os tectum.

Bonnae.

R. Muenzel.

¹ Quod codex A apud Mehlerum exhibet τὴν ἀσέλγειαν ὡς ἐπὶ τέλος ἀνέψεν οὐδ' εὐπρεπεῖ σχ. mihi mera interpolatio videtur esse.